

✠

# ORATIO FUNEBRIS

IN SOLEMNIBUS PARENTALIBUS,  
QUIBUS UNIVERSITAS SALMANTINA

MORE MAJORUM JUSTA PERSOLVIT SIBI QUONDAM  
SAPIENTISSIMO FILIO

RR. P. MAGIST. FR. DIDACO SALCEDO,  
Ordinis Prædicatorum, Doctore Theologo,  
& Vespertinæ Cathedræ sollicitissimo  
Præfecto:

*HABITACORAM IPSIUS UNIVERSITA-  
tis Conscriptis Patribus Pridie Eidus Aprileis,*

*A RR. P. M. F. JOANNE MARCELINO  
Valcarce, Seraphici sui Ordinis in Comitibus ge-  
neralibus Oratore, Provinciæ S. Jacobi Patre:  
bisque emerito Lectore; ejusdem Univer-  
sitatis sacræ Theologicæ Doctore, Vesp-  
ertinæque Interprete.*

---

*Salmantica: apud NICOLAUM JOSEPHUM VILLAR-  
GORDO ET ALCARAZ. Ann. MDCCXLI.*

b 18624005

ORATIO  
FUNEBRIS



JUDICIUM RR. PATR. MAGIST. FRAT.  
Benedicti Marin, Benedictini, hujus Univer-  
sitatis Doctoris, Primariaque Cathedrae mode-  
ratoris, Collegii Regii Sancti Vincentii: bis  
Abbatis, Hispanicae Congregationis sui  
Ordinis ad Comitata generalia perpetuo  
vocati, &c.

Quam non ita pridem frequenti coram hujus  
Salmantinae Academiae Patrum ac Doctorum  
confessu laudationem e suggestu funebrem  
habuit ejus spectatissimus Author, eandem modo  
examinandam suscepi, Censoris munere functus, ex  
grata semper mihi ordinatione Perillustris D. D. Em-  
manuelis Minayo, Consilarii Regii, nostraeque Uni-  
versitatis Cancellarii supremi, &c.

Neque enim rem mihi non longe gratam fe-  
cisset, qui quam semel avidissimis auribus excepe-  
ram, eam rursus pari animi voluptate, hauriendam  
oculis, orationem committit. Equidem proprio ex-  
perimento super aliis viri hujus eximii lucubrationi-  
bus facto, nihil minus sperare de foetu hoc ceteris  
simillimo poteram, Seneca attestante, immo refra-  
gante nemine, *fere quae impetu placent, minus praestant*  
*ad manum relata.* Atqui, quod rarum, quod perdiffi-  
cile, quod impervium aliis, id geniis quandoque exi-  
miis feliciter celsit. Idem ipse Stoicae severitati addic-  
tissimus Author Oratorem aetatis suae laudat, quem  
in eo se deprehendisse honoris gradu putat, ad quem  
reliqui homines non assurgunt. Quidni & ego alium  
laudare aetate mea possim, cui forsitan verius, *non hoc*  
*accidit, quod omnibus fere, quibus majari commenda-*  
*tioni est auliri, quam legi?*

Senec.  
ep. 101.

Idem,  
Cótrov.  
lib. 3.

Certè non est uude in praesentiarum timeam,  
me ea tangi sententia, qua viri undequaque pracla-  
ri ingentes à Censoribus solitas tribui laudes stoma-  
cha-

chari, easdem tribuunt aut facilitati nimiae, aut non satis exacte severitati Censorum, aut obsequendi, si-ve adulandi, vel ostentandae levioris etiam eruditio-nis prurigini, dum praecipue in fronte cujuslibet etiam orationulae typis excussa non censuras, sed elogia im-modicarum laudem exaggerationibus, magnorum no-minum encomiis, interdum sesquipedalium verbo-rum sonitu concinnata promunt. Et siquidem oratio haec supra molem iustae orationis non assurgat; ne-mo prudens censebit immodice illam laudari, tametsi plurimarum mole laudum decoretur; si vel Autho-rem ejus animadverterit, easdem saltem impendisse illi curas, quas caeteris suis elucubrationibus solet; ipsumque esse RR. ac SS. P. M. Fratrem Joannem Val-carze, Seraphici Ordinis, & Salmantinae Academiae singulare ornamentum. Quem certe virum qui nove-rit, is mecum statuet profecto, non meis modo lau-dibus esse, sed plurimorum majorem.

In Brut.  
cap 65.

Senec.  
ibid.

*Quis illo, ut olim Tullius de Catone, gravior in laudando; in sententiis argutior; in docendo, edisse-rendoque subtilior? Nemo minus (quod Seneca Ora-tori illi suo tribuit) passus est aliquid in actione sua otiosum esse. Nulla pars, quae non sua virtute staret. Ni-hil in quo auditor sine damno aliud ageret. Omnia niten-tia, & intenta aliquo, aliquid potentia. Nemo magis in sua potestate habuit audientium affectus: Nemo non, illo dicente, timebat, ne desineret. Extant orationes ejus plures refertae verbis, & rebus illustribus: omnes ora-toriae virtutes in eis reperientur. Electa verba sunt, non captata, nec contra naturam posita, & inver-sa, splendida tamen. Quae non illarum plurimum va-let cultu? ingentibus non est plena sententiis?*

Jam verò haec, quam modò lustro, quem flo-rem, aut quod lumen eloquentiae non habet? Rebus ampla, stricta sententiis plus docere videtur, quam dicere. Erit non nemo, cui caeterae, quamquam opti-mae, huic collatae, quasi antiquatae videantur. Adeo in illa omnium amplitudo excrefcit, & tamquam par-vo auro grandis gemma vix capitur. Nec quae quon-dam

dam, referente Apollinari Sidonio computabatur prin-cipalis facundia, huic de esse potuit, ut, scilicet, *cau-sa potius impleretur, quam pagina*. Quamquam faten-dum est, plurimum eum juvisse materiae magnitudi-nem, ut non ei necessum fuerit quidquam de ingenio suo addere, cui nihil deerat. At in caeteris id praestitit quod nunquam melius. Scilicet, sistebat sibi, cum scriberet clarissimus Author, charum amici vultum, illius, qualis illi reliquus apud homines nullus erat: & amor ille implebat mentem, ducebat calamus, qualis apud rara amicorum paria esse solet.

Sciunt, qui novere viros, omnes, quam ve-rum sit, eos probasse charitate sua, quod Laelius apud Tullium dicebat, *nisi in bonis amicitiam esse non posse*. Quod si contrahit virtus amicitiam; si ni-hil est quod ad se rem ullam tam alliciat, tam attra-hat, quam ad amicitiam similitudo, ut idem Laelius in ultis praedicat interjectis, concedatur profecto il-lum recte agere, qui aliam ex alia in hoc pari ami-corum commendavit. Certè quod Scipioni viro mul-tum de amicitia commendato difficilimum est visum, amicitiam usque ad extremum diem vitae permanere, duobus his, reliquis mirantibus contigit. Quo verò illustrius dici nihil poterat, ut expectatam diu, ve-ram, pererrantem illos amicitiam fovisse, omnium ju-dicio comprobetur. Itaque non modò eos fraterna mutua illa charitate excelluisse, quae viris est utrius-que praestantissimi ordinis communis; sed illa maxi-me amicitia, quae in perpauca sapientum (qui ex hominibus sunt ad amicitiam aptissimi) ex omni-bus saeculis praedicatur; adeo est singulis notum, hic praesertim ubi frui illis nobis licuit, ut si ego id demonstraturus aggrederer, sane obtinerem cau-sam; at in re minime dubia uterer non necessaria probatione.

Ecquis non mirabatur in tanta ingenii utrius-que celeritate, in ubertate mirabili maximarum re-rum, in amplitudine eloquii, in sacrationis scien-tiae penetratione, in oratoria laude, denique in ho-

Sidon.  
Apollin.  
epist. lib.  
4. ep. 3.

In Lxli.  
cap. 18.

Cap. 48.  
& 50.

nes-

nestate spectabili morum, tantam concordiam, quam  
lem nisi maxima in his similitudo, ac concors per  
omnia natura, qua, ut Cicero verissime dixit, *nihil*  
Ibid. *appetentius est similitum, nihil rapacius, contrahere*  
cap. 50. *potuissent? Amisit in uno Academia prope sibi erep-*  
*to, dimidium dati à Deo doni optimi: at reliquit il-*  
*li alteram, ex quo solatium caperet. Hic verò tali*  
*amico orbatus unde solabitur? Cui, ut illi, sua*  
*patri cum confessione committet? An non amici de-*  
*siderio movebitur? aut se non potiore sui partem*  
*amisisse putabit? Doleat profecto plus necesse est,*  
Bernard. *qui majus sustinet dispendium. Nec mirari quempiam*  
ep. 374. *debet (quod Parens Bernardus humanitati largitur)*  
*si gemitum extorquet affectus; si desolatio lacrymas ex-*  
*primit. Quod si nemo a sapientis animo extirpatam*  
*humanitatem arbitrabitur; cadere in eum dolorem*  
*non negabit, qui à natura insitum esse animadvertit,*  
*nihilque infamiae in illo esse.*

Sapiens itaque non à dolore minus quam ab  
humanitate est alienus. Sed est alius sapientis dolor,  
quàm vulgi. Dolet vulgus ultra modum, suisque in-  
commodis graviter angitur. At sapiens amore amici  
tenetur, non sui: dolet ut homo, at ut vere amans,  
ut amicus, sapienter: medicina non eget; dolor  
enim ejus aegritudo non est. Quod si solatio egeat  
( & egebit profecto sapius ) illo se ipse consolabitur  
maxime, quod in optima de amico opinione posi-  
tum est. Et hoc solatium sane præstantissimum mi-  
nuendo atque leniendo dolori quis negare audebit  
Authori clarissimo? Itaque ille tranquillissimo &  
quasi indolenti animo dixisse, atque scripsisse visus  
est. Quamquam ut ejus erat amor in amicum tener-  
rimus, non omnes adeo potuit affectus suos sopire,  
ut non interdum in blanda, ac dolorem excutien-  
tia verba erumperet. Atque in primis illud, ut ar-  
bitror, tum amplissimum, cum gratissimum est, il-  
lum libenter amicitiae dedisse quod liquido veritati  
daret. Nam non eum ubique veritati litasse, sine  
magna ipsius veritatis offensione suspicaretur nemo.  
At-

Atqui non vanè, non seductoriè laudatur, quantum-  
vis plenissimè videatur laudari, qui in veritate lau-  
datur. Jam cui non erit jucunda laus, quæ ab eo pro-  
ficiscitur, qui ipse in laude vivit?

Fuit profecto audientibus, legentibus erit.  
Erit etiam ipsi amico, cujus virtutes, propriasque  
laudes Author tota oratione prosequitur; cum in  
eo sit loco, ubi timere sibi ab adulatione, aut elatione  
non potest. Erit deinde gratissima celeberrimo  
Prædicatorum Ordini, atque huic in primis S. Ste-  
phani illustrissimæ domui, quæ quasi novum suæ fa-  
miliæ ornamentum, ac monumentum servabit, at-  
que ad seram memoriam optimi quondam filii sui.  
Utque meum denique judicium finiam; si Ciceroni  
visum est, nihil fortius, aut laudabilius ne ex om-  
ni quidem antiquitate ceteri posse, quàm mortuo  
filio Patrem laudationem in foro dixisse; cum sit  
veræ ac perfectæ amicitiae major aliquando conjunc-  
tio: non immeritò hoc ceteri posset fortius, atque  
laudabilius optimo amico mortuo laudationem opti-  
mum amicum dixisse; eumque in celebri concione  
præclare commendasse. *Cujus orationem quis non ad-*  
*miratur insignem ingenii, judicii, ordinis præstantia?*  
Itaque dignissimam luce publica illam judico in hoc  
Collegio D. Vincentio sacro, die XX. Maji. Anno  
M D C C X L I.

Cicer. in  
Cōsolat.

M. Fr. Benedictus Marin.

**N**OS el Doctor D. Manuel Perez Minayo, del Consejo de su Magestad, Maestro-Scuela, Dignidad i Canonigo en la Santa Iglesia Cathedral de esta Ciudad de Salamanca, Juez Ordinario, Cancelario de la Universidad de ella, &c.


Por el presente damos licencia à qualesquiera de los Impressores de esta Ciudad para que sin incurrir en pena alguna puedan imprimir el Sermon *Oracion fúnebre*, que se dixo en la Real Capilla de S. Geronymo de esta Universidad por el Rmo. P. M. Fr. Juan Marcelino Valcarce, del Orden del Seraphico Padre San Francisco, Doctor Theologo, i Cathedratico de Visperas de esta Universidad à las honras i venerable memoria del Rmo. P. M. Fr. Diego Fernandez Salcedo, del Orden de Predicadores, Doctor Theologo, i Cathedratico de Visperas de esta Universidad, por quanto está examinado, registrado, i aprobado por el Rmo. P. M. Fr. Benito Marín, del Orden de S. Benito, de dicho Gremio i Claustro de esta Universidad, Doctor Theologo, i Cathedratico de Prima de Theologia, i por su censura consta, no tener cosa alguna contra nuestra Santa Fè Catholica, i buenas costumbres. Dada en Salamanca à veinte i siete de Mayo de mil setecientos i quarenta i uno.

*Emmanuel Schol. Salmant.*

Por mandado de su Señoria el Señor  
Maestre-Scuela.

*Manuel Muñoz de Castro.*  
Notario.

CHE-



CHERUB-SERAPHICO,  
SERAPH-CHERUBICO.

PARENTUM NN. SUCCESSORIBUS.



**P**ATRES amantissimi : Sub uno nomine epistolam scribo, quibus sub uno corde, motus vitales omnium fratrum meorum intelligo militare. Propter hoc, charissimi fratris, sapientissimi Mag. Salcedo mors, cor meum mortificavit ita, ut nisi ad fontem nostræ vitæ, animam vestram, speraret accedere, statim cum fratre suo mortis semitas mœrore calcaret; triplicatum enim dolorem sustinere non valet, dum Didacum Oratorem in  
B fu-

2  
funere Magistri mei, & vivam imaginem ejus simul cernere cogor. Protomartyris Stephani sanctissimi, sanctissima Domus, ignitos lapides charitatis ad corda nostra mittit, quibus feliciter non solum inter lapides ignitos ambulamus, sed etiam *Locus sanctissimæ Dei celsitudinem reparando perficiamus.* Istius Protomartyris charitas durissimos, invidia lapides fabricatos, ira decoctos, odio non minus cruentos, quam crudos, suavissimos, dulcissimosque reddidit dum dixit, *Domine ne statuas illis hoc peccatum:* qua ergo dulcedine, amore, sapientia, & charitatis ubertate lapides mysticos in præclaros faciat totius suavitatis effluere fontes, in fluvium magnum adunatos? Illud Ecclesiastici consideravi *ne coneris contra ielum fluvii.* Unde pro filio vestro, amicissimo fratre meo, intellexi illud dictum mihi: *Pro justitia agonizare pro anima tua.* Ipse enim erat quasi anima mea, cujus solatium unicum tanti doloris erit anima vestra. Volo, quia nolle potui, dolorem meum maternitati vestræ dilectionis patefacere, ut si cor vestrum quiescit mutuo amore nostro, mitescat dolor noster benedictione paterna vestra. Nihil sententia mea de filio vestro dixi, quia si Franciscus est *Judex homo mentium*, ipse judicabit quid faciat cum ardentissimo amatore suo, verbo, & opere, Didaco, videns quid pro impio persecutore Stephanus fecit. Non enim Judicem mentium diligeret sapientissimum, quin simul Cherubicum, & Seraphicum amaret. Et quia Parentes suos separare non potuit, simul Cherubicos, & Seraphicos diligebat: dumque ad ipsos, ut piè credo, ascendit, hanc mutuam dilectionem in testamento reliquit. Vobis per Anselmum placuit interim dicere.

Lib. 1. ep. 18.

„ Utinam in legendo epistolam meam sentiant  
„ avunculi mei quem affectum in dictando eam  
„ testantur oculi mei: velociter fuit in ipso  
ini-

3  
„ initio animus meus lacrymas exprimere, quam  
„ stylus meus litteras imprimere. Sicut enim  
„ nec temporum diurnitas, nec locorum lon-  
„ ginitas corpori meo valuit adimere quod  
„ nascendo de genere vestro incepit, & quod  
„ crescendo de nutrimento vestro accepit, sic  
„ nulla sollicitudo, nulla occupatio animæ meæ  
„ potest minuere amorem vestri, quem, &  
„ natura, & beneficio concepit. Quapropter  
„ quorum amore ardet indefinenter, eorum  
„ felicitate semper sitit ardentem. Precor igitur  
„ quatenus per hujus nostræ latorem epistolæ,  
„ vestræ, statum incolumitatis filium  
„ vestrum docere velitis. „ Si proximis sanguine  
„ talia dixit Anselmus; quod existimetis diceret  
„ spiritu & animo Patribus, ut mihi vos estis,  
„ ex corde meo dictum accipite. Et ipsum iterum  
„ dicentem audite, oro. „ Quod in  
„ in titulo opusculorum nostrorum nomen nostrum  
„ tro addidi nomen Abbatis, non ideo feci, ut  
„ personam monstrarem honoratiorem, sed ut  
„ nominis excluderem æquivocationem. Seraphica  
„ enim hæreditate acquisivi: *Et eramus idiotæ, & subditi omnibus;* & omnibus tamquam idiotæ. Si enim  
„ omnibus tamquam idiota libenter subditus esse volo,  
„ quam superexaltationem habebit anima mea, dum ad pedes vestros me provolutum accipiatis,  
„ quorum præsentia gaudet totius Ecclesiæ caput Romana Civitas? Ad tantam sublimitatem accedere non præsumerem, ni Protomartyris  
„ sancti Religiosa Dominicana domus me sub umbra alarum suarum acciperet, ut expressionem  
„ mutui nostri amoris Patribus NN. exararem. Per ejus sanctitatem, & sapientiam expecto omnibus benedictionem vestram, qua &  
„ sanctitas, & sapientia rore benignitatis divinæ usque ad Cœlos in gloriam vestram accrescat. Valete.

Lib. 2. ep. 11.

## PROTESTATIO.

**M**IHI est Deus testis fidelis, quod nusquam ita libenter scribo, quam dum iudicio S. R. Ecc. subscribo. Quodnam erit gaudium animæ meæ sine veritate? Et unde veritas mihi non dimanans ex veritatis fonte, exque totius veritatis capite? Licet Seraph. Parens non præciperet, ut semper subditi, & subjecti simus pedibus S. R. Ecclesiæ; nec Summi Pontifices, specialiter Urbanus VIII., præcipiendo mandassent; adhuc in revelationibus particularibus ad negativam propenderem. Propter hoc in isto panegyrico plurima de ultima felicitate, & præmio, aliisque minus notis virtutibus laudati Didaci altè reticui, etiam dum humano iudicio, solitæque venia S. R. E. ipsa probare possem. Et licet quæ dixi, sint omnibus nota, tamen puto nullius esse auctoritatis, etiam humanæ; quia per me dicta. Desidero enim obtundi ora leonum, hæreticorum, inquam, frementium contra S. Ecc. ejusque filios de levitate cordis pro pia memoria defunctorum. Non minus odit anima mea hypocrisis simulationes subtiles, quibus veritatem obnubilant, sinceritatem maculant, virtutemque reddunt suspectam.

Bene ergo decisio veritatis ad S. R. E. pertinet. Sic sentio, sic desidero, ita peto.

EX=

## EXORDIUM.



Mors! quam amara est memoria tua, dum considero irreparabile damnum inexplicabilis amicitiae! Meã ipsius animam pertransivit gladius, & repetere saepe vulnus me cogit amicus. Attendite, & videte si est dolor meus, ut singultu puerili personem coram amplissimo Senatu heroicitem viri, quæ haud facili ab eruditissimo rhetorico dici potest. Sperabam diuturnitatem doloris vasa cordis dilatate, quoniam David afflictus dixerat: *In tribulatione dilatasti mihi: viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (a) ut scriptura Sac. narrat. Spem fefellit spes. Quandiu enim ponebam consilium in anima mea, ne vulnus in abscondito cordis sedens vobis lacrymis patefacerem, dolorem in corde meo multiplicabam per diem. Timor cum timore lætatur, ex quo in toro corde torpor nimius gignitur. A gemitu cordis mei tribulationes multiplicatae sunt, & cor meum dereliquit me. Cor meum conturbatum fuit, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. A finibus terræ ad Dominum clavi, & dum anxietur cor meum, in petra exaltavit me.

Exaltavit in columna illa Ecclesiæ Anselmo, ubi nos docet quantum pro amico quisque

Eccli. 41. 10

(a)  
Psal. 4. 1. Psal.  
118. v. ult.

que sustinere cogatur, ut à calumniis hominum, si non ratione, saltem auctoritate, liberetur. Responde pro me, Magister, quia vim patior inter extrema amoris & venerationis: charitas urget; timor reprehendit; amici absentia lacrymas petit; hujus Senatus auctoritas severitatem, & gravitatem, si non exagitat, poscit. Respondeat jam pro me epistola tua illa, in luctu aurea, in numero septuagesima quinta, cujus superscriptio ita se habet: *Domno Fratri, Amico, dilecto dilectori Gilberto, Frater Anselmus; quod scribere non valet.* (b) Magister amplissime, si in secreto Cellæ Cœlo de amico absentis scribere non vales, quid coram majori Orbis Theatro, ipso mortuo, dicere posses? Sed quod scribere non vales, intelligere præcipis, ut in me videant quod scribis.

„Dulcia mihi sunt, Amice dulcissime  
 „(sic Ansel. Gilberto) munera dulcedinis tuæ:  
 „sed nequaquam consolari possunt desolatum  
 „de te cor meum à desiderio dilectionis tuæ.  
 „Certe si mittas omnem aromatum odorem,  
 „omnem metallorum nitorem, omnem lapidum  
 „pretiositatem, omnem texturæ varietatem,  
 „renuet; immo non poterit consolari à scisura sua,  
 „nisi recepta altera parte sua scisa anima mea.  
 „Testis est angor cordis mei hoc ipsum cogitantis:  
 „testes sunt lacrymæ obtenebrantes oculos,  
 „& rigantes faciem, & digitos id ipsum scribentes.  
 „Et quidem tu sciebas sicut & ego ipse, erga te dilectionem  
 „meam; sed utique ego ipse nesciebam eam.  
 „Qui nos scidit abinvicem, ille me docuit quantum te  
 „diligere: verè non habet homo scientiam boni,  
 „vel mali, qui non experitur utrumque. Nesciebam enim non  
 „expertus absentiam tuam, quam dulce mihi erat esse tecum,  
 „quam amarum sine te te esse.  
 „Sed

(b)  
 Lib. 1. Epist.  
 75.

„Sed tu habes ex ipsa nostra disjunctione præsentem alterum, quem non minus, aut certe plus amas: mihi verò tu, tu, inquam, es ablati, & nullus pro te oblati. Te igitur in consolatione tua gaudente, solum mihi vulnus remansit in mente: forsitan gaudentes de te offenduntur à me ista tibi dicente. Sed si ipsi gaudent quod desiderabant tenentes; cur prohibent me vel dolore quod semper amat, perdentem? Ex se excusent me, si me videant in se. Alioquin, vel tu intellige quam compatienter, quam consolante ipsi hæc faciant, & unde mitescat dolor meus, quem nemo vult consolari, qui potest, nemo potest qui vult. Sed ille qui omnia quæ vult, potest, sic consoletur me, ut nullum contristet; sic nullum contristet, ut amorem tui integrum ubique conservet. Amen.

Sed, ò venerande, colendeque Magister! licet epistola tua à calumniis personam liberet, gemitibus viscera, oculos lacrymis obruit, innundat. Tuo dilecto dilectori Gilberto scribere potuisti, & ego si meo dilectori dilecto hoc facere possem, nihil aliud dicerem, nullam aliam superscriptionem exararem. Sed proh dolor! Si Ecclesiæ columna firmissima amici absentiam egerrime fert, quomodo mortem, durissima absentia, sustinebit anima mea, cujus cor, sicut cera à facie ignis, vel liquecit, vel aufugit! Ne ergo excessum in utroque quisque cogitare possit Bernardini Senensis lacrymas, in morte sui dilectoris Vincentii audiat, ut illis nimietatem doloris excuset. Sic Bernardinus pro Vincentio plangit, quasi de amico meo diceret.

„Cum de Fraternali compassione, ac pietate Sacras Scripturas attenta perscrutatio-  
 „ne considero, gladium doloris cordi meo  
 „acrius infigo, nec lacrymas scribendo con-

Ber. Sen. tom.  
 3. Serm. 4. art.  
 2. cap. 3. Apud  
 Vvading. Ann.  
 min. an. 1441.  
 fol. 165. tom.



„tinere valeo. Vis enim doloris adducit inten-  
 „tionem, & indignatio Domini ebibit spiri-  
 „tum meum. Subtracto siquidem illo, per  
 „quem mea in Domino studia ubicumque libe-  
 „ra esse solebant, simul & cor meum dere-  
 „liquit me. Cujus enim, vel ferreum pectus  
 „super me non moveatur, si novit incommo-  
 „dum, & damnum meum? Reluctor affec-  
 „tui, nitens, vel invitus non moveri frustra  
 „à conditione naturæ universitatis, de debito  
 „conditionis usu, potentis jussu, judicio jus-  
 „ti, flagello terribilis Domini voluntate. Pro  
 „hujusmodi quidem exigo à me ipso non in-  
 „duigere multo fletui, nec possum imperare  
 „tristitiæ, dum impero lacrymis; sed sicut scrip-  
 „tum est, *turbatus sum, & non sum locutus.*  
 „(e) At suppressus dolor altiùs introrsum ra-  
 „dices figit, eo, ut sentio, acerbior factus,  
 „quo non est exire permissus: fateor, victus  
 „sum. Exeat necesse est foras quod intus pa-  
 „tior. Exeat sane per calamum, ut scientes  
 „incommodum meum, dulciori affectu mihi  
 „compatiantur. Scitis, dilectissimi Fratres, quam  
 „justus sit dolor meus, quam dolenda plaga  
 „mea? Scitis profectò, quam fidus comes de-  
 „seruit me hac via peregrinationis, qua am-  
 „bulabam: quam vigil ad curam, quam non  
 „segnis ad opus, quam suavis ad mores? Quis  
 „ita mihi pernecessarius? Cui æquè dilectus  
 „ego?

(e)  
Psal. 75. 5.

(d)  
Psal. 120. 5.

Heu me! miser sum: quo ibo? Leva-  
 bo oculos meos in montes, unde veniat auxi-  
 lium mihi. (d) Ad vos, inquam, me verto, Sa-  
 pientissimi Magistri, venerandique DD., in  
 quorum ordinatissima, solidissimâque sapien-  
 tia, & Seraphica charitate, Anselmi perso-  
 nam, vel saltem vivam imaginem, Bernardi-  
 nique dulcedinem, nitidissimo speculo mentis  
 vestræ, intueor, quid de dilecto dilectori meo  
 (cu-

(cujus nomen in oculis meis videre potestis)  
 dicam, dum sancti sic prædicant amarissimam  
 vitam meam? O Sapientissimi, Beatique Ma-  
 gistri! experientia cognoscitis, quam justè op-  
 primor lacrymis. Amplissimi auditores, pro-  
 portio inter Anselmum & Gilbertum; Bernar-  
 dinum & Vincentium est improportio maxima,  
 ut explicet dolorem meum, quem habere ita  
 fas est, sicut necesse. Quantum opus erat Gil-  
 bertum Anselmi, Vincentium Bernardini, scis-  
 suram plorare, dum talia legissent, tantum  
 pro meo Amico gemitibus inenarrabilibus (e)  
 est necesse suspiria mittere. Quoties mecum  
 pensitabam pectoris velum scindere, ut videre-  
 tis Juniperum illum Seraphici Parentis discipu-  
 lum, hominibus fatuum, coram Deo sublimis-  
 simæ theologiæ Magistrum, omnia vasa ficti-  
 lia frangere, imperitisque sermonibus clama-  
 re: *Quid est opus jam manducare, vel bibere?*  
 Sic expressit dolorem in morte sui dilectissimi  
 Tacialbene. Hoc, casu videns Frater quidam,  
 objurgat ita: fatue, quid est quod facis, quid  
 est quod dicis? Cui ille, plus infatuatus, ol-  
 lam refectiois frangendo, respondit. O caput  
 plenum sapientiæ! Quis illud mihi præstare  
 posset, ut in una medietate manducarem, in  
 aliaque biberem, si forte tantæ sapientiæ odo-  
 rem percipere possem? (f) Fatuus iste illumina-  
 tatus alte retinebat doloris motivum, quod in  
 morte justorum nobis Ecclesia considera. e præ-  
 cipit, etiam dum eorum memoria in pace re-  
 putatur. *Ecce quomodo moritur justus, & nemo  
 percipit corde; & viri justi tolluntur, & nemo  
 considerat.* (g) Sed prohi dolor! Neque cum  
 Sapientibus, neque cum fatuis me possum com-  
 parare: plus quam omnibus perdidit, quia plus  
 omnibus sapientiam emendicate compulsius. Igi-  
 tur si nec Anselmus per Gilbertum, neque Ber-  
 nardinus per Vincentium, neque Juniperus per  
 Te-

(e)  
Rom. 8. 26.

Cronic. Seraph.  
tomi 1. vit. Ju-  
niper.

(f)  
Chron. cit.

(g)  
Resp. 6. Sab.  
Sanct.

Tecialbenem dolorem meum explicare possunt, in Sac. litteris Dilecti Amici fracturam parabo pingere, ut fatuis lacrymis, quisque benigne pareat.

- Vinum & musica letificant cor: & super utraque dilectio sapientie.* (b) Quid de sapientissimo Amico vita functo dicam? *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flebimus.* (i) *Tibia & Psalterium suavem faciunt melodiam, sed super utraque lingua suavis.* (k) Hoc Ecclesiasticus docet ut doloris motivum accrescat: *Igitur in salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra.* (l) Defecit enim dulcis lætitia, *stella illa matutina, quæ in medio nebulae* (m) *Amator Veritatis debuit nominari. Scissus est arcus refulgens inter nebulas gloriae,* (n) *Amicus dilectus, quem jure, Procuratorem Pacis, nominabo inter nebulas gloriae Seraphicæ, & Dominicanæ familiae. Marcescit flos ille rosarum in diebus vernis; emarcuerunt lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & evanuit thus redolens in diebus æstatis.* (o) *Rapuit fera pessima, mors, vas illud auri solidum, quod contumperere non potuerunt passiones hujus sæculi, erat enim ornatum omni lapide pretioso,* (p) *sapientia, timore, sinceritate suavitatis, amore dilectionis, rectitudine fidelitatis. Quis sicis oculis tantam ruinam videre potest? Sed ultra progreditur motivum doloris: en securis ad radices pullulantis olivæ, & in altitudinem se extollentis cupressi.* (q) *Dies terroris accedit: Deus enim stellas hujus firmamenti nigrescere facit:* (r) *sic oculi mei obtenebrati sunt; justè quidem. Si enim Joseph videns fratrem suum Benjamin, festinavit introire cubiculum ubi flevit, quia commota fuerant viscera ejus; (s) quid de me dicetis? Ille flevit videndo fratrem vivum, unde lota facie egressus foras continuit se: (t) Quid ergo faceret,*
- (b) Eccli. 40. 20.  
(i) Psal. 136. 1.  
(k) Eccli. cit. v. 21.  
(l) Psal. 136. 2.  
(m) Eccli. 50. 6.  
(n) Ibid. 8.  
(o) V. 9.  
(p) V. 10.  
(q) V. 11.  
(r) Ezech. 32. 7.  
(s) Gen. 43. 30.  
(t) Ibid. v. 31.

si adhuc per sæculum nec mortuum speraret videre uterinum fratrem dilectum? Hoc vulnus addidit Deus dolori vulnerum meorum. Justè certe: hic ure, hic seca Domine.

Quoties suspicor, & non sine causa, testimonium mihi perhibente conscientia mea de ingratitude magna; utrum raptus sit dilectus meus, ne malitia mea mutaret intellectam ejus? Tunc cruciantur viscera nimis; quia reus sum mortis illius viri, de quo dici potest: Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens: In medio magnatorum ministrabit, & in conspectu Præsidis apparebit (u) Ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ, & diriget consilium, & disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur, quia super fenestras intellexit. (x) Collaudabant multi sapientiam ejus: non recedet memoria: sapientiam ejus enarrabunt gentes: *Si permanserit, nomen derelinquet plus quam mille: & si requieverit, proderit illi.* (z)

Certè piè credo, quod mors proderit illi, sed quo magis illi prodest, mihi plus quam omnibus officit. Unde cum Ecclesiastico compulsus sum dicere: *Adhuc consiliabor, ut enarrem: ut furore enim repletus sum.* (a) Repletus sum furore contra mortem: contra omnes, quibus Dilectus sublatus est. Verùm quia furor parit dementiam, adhuc consiliabor quid faciam? Consiliabor ut enarrem. Sed qua lingua? In Academia nostra orationes istæ saepe vernacula declarantur; verùm amor, ut particulari lingua enarrem, non permittit. Quomodo satiabitur dilectio, si Hispani plorant solum, quem omnes catholici debent plorare simul? Comuni ergo lingua consiliabor, ut enarrem fracturam animæ meæ in morte Amici Dilecti, pro cujus amore paratus sum ignorantiam meam coram ploribus patefacere, videant.

(u) Particularis casus cum Prelato pro veritate.

(x) Prudentia singularis inter PP. Consilii.

(z) Eccli. 39. 15.

(a) Ibid. v. 16.

B. Raym. Lu-  
lus.  
Lib. de Amico  
& amato.

deantque quomodo favore repletus sum jussu.  
Tantisper intereaque Vos Sapientissimi mihi  
solvite quaestionem istam; Utrum finis amoris  
plus fortiter conveniat cum Amici voluntate,  
quae vult esse cum amato, an ei amatores plu-  
res accumulare desideret?

Sed consiliabor adhuc cum amore ut  
enarrem: verum si mortuo Amico moritur  
amor, quia, unde possit vivere non habet,  
quid consiliabor? Quaestionem referam quam  
audivi inter oculos & memoriam Amici: ocu-  
lis asserentibus melius esse videre, quam me-  
morari; è contra convincebat memoria per  
ipsam ad oculos ascendere lacrymas, in cor-  
de ardere flammam. Ex quo iterum quaestio fuit:  
facta Amico, quid est res miranda? Respon-  
dit, plus amare res absentes, quam praesentes:  
unde Amicus tristabatur in gaudio, & vivebat  
in planctu; amor enim est mors viventis,  
vitaque morientis; & cum nil fortius deside-  
ret anima quam veritatem, teste Augustino,  
si anima plus est ubi amat, quam ubi animat,  
ipso Aquila teste; anima mea plus erit in ve-  
ritate, quam in corpore, quod solum est um-  
bra pulchritudinis verae. Fallax enim est gra-  
tia, & vana est pulchritudo: fallax ergo ama-  
tor, qui ut umbram amet, veritatem negligit.  
Igitur dives erit qui plus veritatem amet, sicut  
miser & pauper, qui falsitatem diligit. (b) Sa-  
pientissimi, si Amicus meus erat Amicus Ve-  
ritatis, quid consiliabor amplius, ut de illo  
enarrem? *Ut favore enim repletus sum.* Consilia-  
bor ergo quod non jam pro me lacrymas funde-  
re fas, sed pro omnibus flere necesse.

Pro alma Universitate dilectissima Ma-  
tre Amici mei desideratissimi. Pro Religione  
Seraphica, cujus Parens Franciscus, ut legis  
gratiae Jacob, dilectum filium suum Benja-  
min gemitibus inenarrabilibus plorat. Vere Ben-  
ja-

(b)  
Lu. cit.

jamin adolescentulus in mentis excessu: (c)  
Vere Filius dextrae Francisci, quia in amore ad Pl. 67. 28.  
Virginem Matrem, ad dexteram Seraph. Pa-  
tris sedet. O Maria Fons amoris, Mater pul-  
chrae dilectionis, & timoris, & agnitionis, &  
sanctae spei! (d) Ingratitudinis nota famam (d)  
macularem, si in planctu Fratris mei, & Eccli. 24. 24  
dilecti amici tui, te non invocarem,  
tibi non dicerem,

### AVE GRATIA PLENA.

*Ora pro nobis Consolatrix afflictorum dilectissima.*



## THEMA.

*RACHEL, IMMINENTE JAM  
morte, vocavit nomen Filii sui Benoni,  
id est, Filius doloris mei; Pater vero  
appellavit eum Benjamin, id est, Filius  
dextrae. Genes. 35. 18.*



ENIA tua, Sapientissima Ma-  
ter, solitaque obedientia S.  
R. E. Nusquam plus homo  
eget consilio, quam ut enar-  
ret dolorem proprium jam com-  
mune malum. Primum favore  
repletus, secundum dolore  
convulsus haud enarrare anxietate valebit.  
Si fractura ista esset mea tantum, dum ad vos,  
Sapientissimi, se converteret cor afflictum, do-  
lor



lor verteretur in gaudium. Quid amplius desiderari potest, quam vos alloqui, vos videre? Si anima nihil fortius desiderare potest quam veritatem, quid fortius desiderare valebit, quam vestram presentiam? Nonne dici potest quod in Arcopago de Atheniensibus Doct. Gentium arguebat, *præteriens enim, & videns simulachra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat, Ignoto Deo?* (a) E contra dici debet: *præteriens, simulachra vestra per totum orbem enarrare valebit: Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* (b) Nonne septem liberales artes aram habebant Ignoto Deo? Nonne hanc eandem colebant aram, philosophia in Aristotele; medicina in Avicena; Jurisprudencia in gentili Romano, *Ignoto Deo?* His omnibus annunciaſti quod ignorantes colebant: *Ignoto Deo.* Jam ergo præteriens simulachra vestra, istam inscriptionem, mundo inauditam, quia non plene notam, legere debet: *Beati viri tui, beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Major est sapientia tua, & opera tua, quam rumor, quem audivi.* (c) Sic Regina Saba de Salomone: sic acta Apostolorum de Paulo, utrumque de te. Sed ut enarrem, consiliabor adhuc. Quomodo interpretaris nomen Salomonis? Pacificum. Quomodo Paulum? Doctorem Gentium ex tribu Benjamin oriundum.

Proh dolor! quot lacrymas & suspiria suscitatur pro te, & Religione Seraphica sapientia, qua doces ista? Quid est Amicus meus, Filius tuus? Hoc præcipis, dicam. Sed consiliabor adhuc: quomodo dicam; verbis, an lacrymis? Non mireris si repletus furore sine consilio dicam: Filius tuus, dilectus dilector meus, est *Amator veritatis, Angelus, & Procurator Pacis.* Utrumque: Ipse, celsit è vi- Quo dolore? Per contrarium veritatis: ve-

(a)  
Act. 17. 23.

(b)  
Act. 16.

(c)  
3. Reg. 10. 8. 7.

ritas enim odium parit; & odians vult oditum non esse. Qua infirmitate? Per inimicum Pacis. Dicant Medici, ex quo mors nostra? Abundantia belli & falsitatis inter quatuor humores, decipientes omnes habitatores terræ hujus, dum omnibus in ætate quacumque longiorem vitam promittunt; sed quam falso ipsa belligeratio convincit. Unde, Sapientissimi, alios instruite, ut quod in aure philosophiæ naturalis audistis, super tecta moralitatis prædicetis. Tunc in aula mentis vestræ afflictum cor meum medelam habebit, solum, quia sapientia doloris motivum vidit.

Sed adhuc consiliabor, ut enarrem; verum quia repletus furore fortè quid dicam, nescio, hanc quæstionem propono: Quis plus dilexit filium Benjamin; Rachel, an Jacob? Sed quid immoror, si cor meum eructat verbum hoc dolore convulsam, proferant labia quod intus latet. Quis plus dilexit Amicum, & Dilectorem meum RR. P. SS. M. charissimum Fratrem Didacum Salcedo, olim vita functum? Quis plus, inquam, dilexit? Universitas ista Salmanticensis Rachel, Ovis, cujus Sapientiæ vellere ignominia posteritatis Adæ tegitur, (d) cujus veritate ornatur sponsa illa uxor Agni immaculati Christi; (e) vel Franciscus legis gratæ, Jacob, percussus non in femore (f) utcumque, sed *in volis, plantis, latere.* (g) Ecclesia enim canit, ut moriens Jacob benedixisti? Si sapientia loqui debet inter perfectos, (h) vobis datum est nosse mysterium, cæteris autem in parabolis, (i) ut conclusionem propositi dubii cognoscatis. A me hodie tantum interest quærere, velim pro utraque parte, dilectioris motivum assignare. Ad historiæ litterarum iterum me vertam, si in characteribus ejus significationem legere possim. Rachel: *imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, Pater verò*

(d)  
Gen. 37. 10.

(e)  
Apoc. 19. 9.

(f)  
Gen. 32. 25.

(g)  
Offic. Ecc. S. Franc.

(h)  
1. Cor. 2. 6.

(i)  
Luc. 8. 10.

- (K) Benjamin (k) Quis plus diligit, Rachel an Jacob? Pro Rachel urget magister veritatis Christus, sic cum Discipulis allocutus de Lazaro, quem diligebat nimis: *Lazarus amicus noster dormit.* (l) Ad quem Discipuli ejus: *Domine, si dormit, salvus erit.* (m) Tunc ergo Jesus clare dixit eis: *Lazarus mortuus est: infremit spiritu, turbavit seipsum, & lacrymatus est. Quod videntes Judæi, ut scitis, dixerunt: Ecce quomodo amabat eum.* (n) Lacrymæ ergo testes sunt fideles ferventissimæ dilectionis. Pius ergo Rachel, quam Jacob dilexit. Plus ergo tu Rachel, à Jacob dilecta unicè, Benjamin Fratrem meum dilectum diligis. Si enim qui addit ad scientiam, addit ad laborem, (o) Didacus tuus, Benoni, filius doloris tui vocari debet. Per ipsum addidisti ad sapientiam tuam maximam, & multiplicando laborem doloris filium peperisti. *Mortua est ergo Rachel.* (p) Venia vestra dicam de Universitate ista, quod Sum. Pontif. Gregorius dixit in morte Doct. Seraphici Bonaventuræ: *Mortuus est Bonaventura: magnam incurrit jacturam tota Ecclesia catholica.* (q) Mortuus est Didacus à Salcedo, magnam incurrit jacturam Universitas Salmantina.
- Licet non sim dignus vocari filius tuus, (r) tu scis quia amo te, & paratus sum, ad jutorio Dei, animam meam dare pro te; (s) quia in veneratione cordis mei tu es speculum justitiæ; tu Ecclesiæ catholicæ columna firmissima; tu pupilla oculi veritatis christianæ. Sed unde tibi, & qua virtute hæc omnia? Nonne ex veritate? Abs dubio dici debet. Nunc à sapientia tua inquirio, si mortuo Didaco, mortuus est amicus specialis veritatis, propter quem debeo plus lacrymas fundere, pro te, an pro me? Totus mundus in maligno positus est, (t) quia omnes quæ sua sunt, quærunt,
- (K) Gen. 35. 18.  
(l) Jo. 11. n. 11.  
(m) Ibid. v. 12.  
(n) Ibid. v. 36.  
(o) Eccle. 1. 18.  
(p) Gen. 35. 19.  
(q) Chron. Ser. Vita Bo. 1.  
(r) Luc. 15. 19.  
(s) Joan. 13. 37.  
(t) 1. Joan. 5. 19.

runt; non quæ Jesu Christi. Et cum sit propitiatio pro peccatis totius mundi, (u) ut bonum commune, ipsum dividunt, qui in particulari solum bona sua quarunt. Et quare est propitiatio, nisi quia ipse est via, veritas, & vita? (x) Inter omnes tu, Mater dilectissima, semperque veneranda, fortius veritatem desiderare debes, docente Augustino: plus ergo plorare necesse est pro veritatis Amico, filio tuo, dilecto meo: ergo plus diligis. Plus ergo plorare debeo pro te, quam pro me, & Religione Jacobea Seraphica.

Ut paucis multa comprehendam de dilecto Dilectore meo, Didaco, allocutionem, quam inter sapientiam tuam, & veritatem incommutabilem audivi, dicam; mittendo vobis solutionem illius quæstionis, *quid est veritas?* Nunc autem videte in isto speculo veritatis dilectum fratrem meum. „ Inquit veritas, „ quia hominibus sum maxime necessaria, per „ necessitatem sum hominibus maxime demonstrabilis; & quia in omnibus rebus est necessitas, sicut & veritas, miror, quare tam „ pauci me cognoscant? Ait sapientia; quia „ non sapienter quarunt à sapientia. Quid est „ veritas? ait veritas: Ego in Aula hujus mundi sum „ maxime necessaria & maxime impossibilis; nam „ cum sim nuda, & (i) omnes domestici ejus sint „ vestiti duplicibus, nolunt me recipere, nisi sub „ duplici habitu; & quia non possum sic incedere „ te, (a) ejicior foras, & locum meum occupat mea æmula, quæ me mentitur sub „ habitu simulationis, adulationis, & hypocrisis, nam simulatio tegit falsum sub habitu veritatis; adulatio malum sub habitu bonitatis; hypocrisis vitium sub habitu virtutis; & quia primus minister Aulæ, scilicet „ amor proprius, est amicus, facile ab illo falsitas admittitur.

(u) 1. Joan. 2. v. 2.

(x) Joan. 14. 6.

Sapientis Salcing. sub Reg. & Princip. tom. 1.

(i) Prov. 31. 17.

(a) 1. Reg. 17. 30.

(b)  
Pfal. 84. 12.

„ Unde , prosequitur veritas ; quia ve-  
ritas de terra orta est , & iustitia de caelo  
prospexit , ( b ) & est tanta distantia inter  
caelum & terram , non est mirum quod in  
terra iustitia , & veritas tam raro conveniant ;  
ergo nec mirum est , ait sapientia , quod  
falsitas , & iustitia in caelo non conveniant .  
Veritas ergo vincit immensam distantiam inter  
caelum & terram . „ Omnes me quaerunt , ( in-  
quit veritas ) sed quia fere omnes quaerunt  
quae sua sunt , pauci me inveniunt ; & quia  
ego gloriam meam non quero , & gloriam  
praecedat humilitas , nemo se vult mecum  
humiliare . In quo ergo ( quaerit sapientia )  
deberent homines se humiliare , ut se inve-  
nirent ? Respondet veritas , in me affirman-  
do , & in te negando . Quomodo hoc est  
possibile ? ( ait sapientia ) Facile ; ( segerit  
veritas ) negando te in se ipsis ; & affirman-  
do me extra seipsos . „ Inquiro nunc , si ve-  
ritas non potest haberi sine humilitate , & est  
qui nequiter se humiliat , quomodo potest cog-  
noscere vera humilitas , & distingui a falsa ?  
„ Per me , inquit sapientia ; nam nullus superbus  
est sapiens , & nullus sapiens est superbus .

Salcing. cit.  
Verb. humilitas

Sub ista parabola vitam Amici mei , Fi-  
lii tui audisti , sapientissima Mater ; & quo-  
plus imaginem eius considero , amplius opprimor  
lacrymis ; cor meum non sinit verba proferre ,  
etiam dum fidelitas cogit dicere . Igitur mi Fra-  
ter Didace , non es ille tu , qui in primo ju-  
ventutis flore , ingenio supra naturam , supra  
aetatem , doctrina Complutensis Academiae ,  
Toletano primatu quasi certo , amplissimos  
Ecclesiae honores possidere parabas ? Tu es ille  
qui ambitione sacra , laudanda tamen , a plu-  
ribus Religiosorum familiis quaerebaris . Et quid  
mirum , visa juvenis pulchritudine , vivacita-  
te , modestia , docilitate , amabilitate , & sin-  
ce-

ceritate plus Angelica ; quam humana . Atten-  
dite , quibus funiculis puer iste ligabatur : con-  
sanguinei pro utraque parte consilium ferebant ;  
amabilitas , obedientia , & candor animi ipsum  
vinciebant , ne molestiam , vel tristitiam cu-  
mularer . Religiosos , Fratres Dominicanos , a  
longe , vel nil forre salutaverat . Adfuit divi-  
na lux , & tamquam Sanson fortis , vincula  
rumpens in fuga securitatem quaesivit . Sed Fra-  
ter charissime , quo progredieris sine duce , si-  
ne magistro , sine consilio , & forre sine pie-  
tate , consanguineos bona consiliantes spernen-  
do ? Quo tendis ? Quo ? Ad Religionem Do-  
minicanam convolvit . Sed quod aliud Amator  
veritatis nisi ad veritatis Religionem ? Sic enim  
legimus de Predicatorum ordine : *Religio veri-  
tatis* . Oh Sanctissime Pater , qui in Coelis es !  
nunc cognosco quantum , quomodoque natu-  
ram gratia perficiat .

Quid , Mater amantissima , per annos  
triginta , & plus in Religione ista tamquam  
bonus Athleta , Christique miles Didacus meus  
fecisse cogitas , virtutumque thesauros accumu-  
lasse existimas ? Ex ungue Leonem : mirandum  
est quomodo docilitas , & amabilitas unquam  
potuerunt flectere animum , adstante veritate  
in contra . Ama veritatem , & scies quid pro  
ejus honore sit necesse pati . Quoties in consilio  
Fratrum , & Magistrorum catu super senes  
intellexit , ( c ) quia veritatem amabat ? Prop-  
ter istam virtutem illaesa distributiva & integra  
servabatur , postpositis omnino amicitia , sanguine ,  
patria , favore , vel auctoritate . Quid nisi amor  
veritatis fecit illum prudentem in consiliis , cir-  
cumspectum in dictis , modestum , & ingenio  
clarum in disputationibus , devotum , & eru-  
ditum in praedicationibus ! Oh Religio verita-  
tis ! quam amo dilectione filiali , quas lacry-  
mas fundere debes , si veritatem amas ? Pro

(c)  
Pfal. 118. 100.

fratribus tuis te invoco testem; pro Matre ista sapientissima dicant filii ejus: nonne quoties audivimus eum, os aureum locutum fuit in humilitate sinceritatis, in dilectione charitatis, in pretiositate lucis, & in integra claritate veritatis?

Quoties ab ipso audivi Apostolico fervore corda gelida; saxumque pectus meum inflammante, dum timor irruentis schismatis imminebat; eja, frater, dicebat, ecce nunc tempus, in quo opus est dare vitam pro veritate; etsi omnes fugiant, cor meum paratum habeo, ut adjutorio Dei omnes calamitates parvipendam. Igitur qui corde mundo est, atque pacificus, & persecutionem pro veritate patitur, in commune commodum vitam instituit. (d) Intret quisque in aulam mentis suae, & videat, quas minas audire possit? Unicuique sufficit videre valde longe minora, ut quid de majoribus sentiat, dignoscatur. Si ergo, sapientissima Mater, plus quam omnes divitias veritatem amas, quantum diligas, dicent oculi tui in morte Amatoris veritatis. Plus ergo, tu Rachel pulcherrima, quam legis gratiae Jacob, Franciscus, Dilectum Dilectorem meum Didacum, Benoni nominatum, diliges. Divum Bernardinum Senensem in morte dilecti sui Vincentii iterum plorantem audite, ut mutato nomine, cognoscatis, quam justè pro ista amantissima Matre lacrymas, & suspiria multiplicem in morte filii sui Amatoris veritatis, qui ut inimicus simulationis, adulationis, & hypocrisis indefessè contra falsitatem pugnavat.

Dicat Bernardinus. „Dolete, quaeso, Bernardin. cit. „& vicem meam tenete omnes, quibus haec „sunt nota. Pusillus corde eram, & confortabat me. Piger & negligens in via Dei eram, „& excitabat me. Improvidus & obliviosus, & „com-

(d)  
Chrysol. hom.  
15. in Matth.  
sub med.

„commonebat me. Quomodo mihi avulsus es  
„Vincenti mi? Quomodo raptus è manibus  
„homo unanimis, homo secundum cor meum?  
„Amavimus nos in vita, quomodo in morte  
„separati sumus? Amarissima separatio, &  
„quam non posset omnino efficere, nisi mors.  
„Quando enim me vivus desereres? Omnino  
„opus mortis horrendum divortium est. Quis  
„enim tam suavi vinculo mutui nostri non pe-  
„percisset amoris, nisi totius suavitatis inimi-  
„ca mors. Bene mors, quæ unum rapiendo  
„duos furiosa peremit: Scis ubi verser, ubi  
„jaceam, ubi reliqueris me? Non est qui  
„porrigat manum. Ad omne quod emerferit,  
„respicio ad fratrem Vincentium, ut consue-  
„veram, & non est. Heu! Tunc ingemisco  
„miser, sicut homo sine adjutorio. Quem con-  
„sulam in ambiguis, cui in adversis fidam?  
„Nonne ubique gressus meos Vincentii oculi an-  
„tebant? Qui novistis eum, scitis vera esse  
„quæ loquor. Nonne lingua tua illa placabi-  
„li, & modesta meam sermonibus sæculi fre-  
„quentissime acrius vindicabas, amicæ redde-  
„bas quieti? Dominus dederat illi linguam  
„eruditam, ut sciret quando deberet profer-  
„re sermonem. Ita denique in prudentia res-  
„ponsorum suorum, & in gratia sibi data de-  
„super domesticis satisfaciebat, & exteris.  
„Hucusque Bernardinus, Amantissima, Sapien-  
„tissima Mater, docens me, quas pro te la-  
„crymas fundere debeam in morte Filii tui,  
„Fratris mei, Didaci. Quomodo mihi avulsus es  
„Didace mi? Plus ergo Rachel universitas ista  
„diligat filium doloris sui, Didacum, Benoni cer-  
„te nominatum.

Sed pro Jacob, Francisco, jam ratio-  
nes dubitandi pando. Bene Rachel vocavit no-  
men filii, Benoni, seu doloris filium; sed Jacob  
appellavit eum Benjamin, seu filius dextera. Quid  
per

per dexteram litteræ tam sacræ ; quam profanæ intelligant , non ignorat sapientia tua.

- (e) Alapid. Gen. 35. Ut enim Dominus ad Hierusalem maximam charitatem ostenderet , ait : *Si oblitus fuero tui Hierusalem , oblivioni detur dextera mea.* (f) Tamquam unicam felicitatem roborisque signum Benjamin diligebat Jacob. In tantum dilexit , quot pro nihilo omnes reputaret filios in comparatione Joseph perditum , & Benjamin abducendum : (g) *Absque liberis me esse fecistis ; (ait) Joseph non est Jasper , Simeon tenetur in vinculis , & Benjamin auferetis : in me hæc omnia mala reciderunt. Siquid Benjamin adversi acciderit , in terra ad quam pergitis , deducetis nos meos cum dolore ad inferos.* (h) *Quid mirum ! Octava fuit hæc crux Jacobi.* (i) Oh Patriarcha patientissime , quid diceres , si certò judicares mortuos , quos tam anxie sperabas cernere vivos ! Fortè furore repletus præ amoris vehementia , sicut alter Paulus , Benjamin filius infanires. (k) Jacob ergo plus diligit , quam Rachel.

Plus ergo lacrymandum propter Seraph. Franciscum Parentem. N. quam propter Universitatem istam. Oh Patriarcha pauperum ! Oh legis gratiæ Jacob ! Vir simplex , rectus , integer ; si simplicitas est veritas , puritas , & innocentia animi ; falsitatis , simulationis , & peccati expers , & impermixta , (l) quas lacrymas , quaque animi consternatione , Franciscus , plorares dilectum Benjamin , fratrem meum , veritatis Amatorem ? Vos qui sapientes estis , considerate Seraph. Parentis dolorem secundum inimicitiam ejus ad simulationem , & hypocrisim. Contra istam ita fortiter pugnabat dilectus amicus , ut usque ad mortem strenue bellum indixerit. Ita validè , ut in ultima infirmitate , propter afflictionem dilecti , charissimi fratres ejus exuerent vestem lineam , stami-

mineumque saccum ponerent , ipso talia apostolica sincerissima verba proferente : *Quomodo Parens meus cognoscat me Dominicanum Fratrem videns istam vestem ? Profanus sum nimis. Adducite , Fratres charissimi , adducite habitum magis sordidum , & humilem totius Cœnobii.* Et , propter angustias animi , opus fuit ei condescendendo placere.

Oh Patriarcha Seraphice ! nonne erit iste filius tuus , filius dexteræ tuæ , humilitas , & paupertas , Benjamin dilectus ? Sed quid mirum ! Vivus , & sanus ad domum novitiorum charissimus aliquoties me conduxit , ut viderem altissimam paupertatem , quam consideravi , & obstupui post tot sæcula virentem , emulando seraphicam. In hoc itaque delectabatur cor ejus , quod non nisi obortis lacrymis considerare potui. Propterea in Seraphicum Parentem ferventissimo amore , crebrisque suspiriis ferebatur , ita ardentem , ut inultima infirmitate anxie petendo chordam seraphicam , simul cum Angelico cingulo ad colulum cinxerit. Astantibus verò , qui existimabant delirium , sic respondit : *Non insanio , ita debet esse reus iniquissimus , ut sum ego. Nunc casu contingit me aliquid rectum facere.* Fuit igitur iste Benjamin Francisci , alter Didacus , quem ex præcordiis diligebat , in humilitate , & paupertate æmulus. Solum hac exhortatione seraphica vobis ostendere possum motivum specialis dilectionis inter Seraph. Parentem , & dilectum Didacum. *Monco , & exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo , ut quando vadunt per mundum non litigent , neque contendant verbis , nec alios judicent ; sed sint mites , pacifici & modesti , & humiles ; honestè loquentes omnibus , sicut decet.* (m) Quænam clarior descriptio RR. Salcedo ? Ita est dignus laude , fletu , & planctu , sicut omnium honorum diffi-



cilis imitatio. Quid ergo planctus doloris, & afflictionis, mortuo Benjamin? Siquis hoc dicere, vel scribere possit, sapientia tua resolvet; quamvis hucusque motivum majoris anxietatis non dixerim.

Hucusque enim planximus *Amatorem veritatis*, quid si ultra addam planctum *Angeli, & Procuratoris Pacis*? Ita difficile est respondere, quid sit pax? sicut, quid sit veritas? Pax enim Dei est, quæ exuperat omnem sensum, custodiens hominum corda, & intelligentias in Christo. (n) Hanc, unicum patrimonium ille Agnus, qui tollit peccata mundi, (o) discipulis, dum ad Patrem ascenderet, dereliquit. Propterea dum venit in hunc mundum viva imago ejus Franciscus, misit Deus Angelum suum, Angelum pacis, per vicus, & plateas Civitatis Alsie clamantem *Pax & Bonum*. Plagæ enim ejus, vita, & virtutes pacem inter justitiam, & Dei misericordiam hominibus procurarunt. Sed inimicus homo supereminavit zizaniam; & quia Minorum & Prædicatorum substantia erat magna nimis, nequibant habitare communiter. (p) Ardua valde exarsit collectatio. Sed placuit Deo mittere Angelum pacis, Didacum meum, annunciantem fratribus, *Pax, & Bonum*. Tanta felicitate id affectus fuit, ut, ubique minus conjunctos dulci nexu charitatis fratres invenit, sicut arcus fœderis inter nebulas gloriæ refulserit, amicissimosque reddiderit. Quoties mecum allocutus pactum fœderis inter duas Religiones ardentissimo desiderio eructabat? Se vitro offerentem in holocaustum charitatis sæpe audivis ut si quovis modo aliquis ex suis discordiæ occasionem daret, in quacumque cathedra, Spiritus S. precipuè, ille statim in contra profilitet, usque dum ad amicissimam charitatem revocaret. Simileque pactum à me humillimè

(n)  
Philip. 4. 7.

(o)  
Joan. 14. 27.

Chron. Ser.  
tom. 1.

(p)  
Gen. 13. 6.  
Reg. Ser. c. 3.

petebat, ut funiculo triplici charitatem defenderet. Qui pacem procurare voluerit, omnes colluctantium ictus opuserit sustinere. Sic Christus Patri reconciliavit peccatores. (q)

Illud dilectissimi Parentis mei Domini sæpe affectu dulcissimo repetebat: *Stemus simul, & nullus adversarius prævalebit*, (r) sicque mentem Parentis exponebat. Franciscæ, stemus simul, & nullus adversarius prævalebit, neque contra S. Ecclesiam Catholicam Apostolicam Romanam; neque contra fidem, spem, & charitatem; neque contra virtutem aliquam; neque contra veritatem; neque contra sapientiam; neque contra quodcumque aliud excogitabile bonum in toto mundo. Nullus adversarius prævalebit, si stemus simul. Aliquando ego contradicendo, dixi: Didace mi, Frater major, amore insanis. Non insanio, sed veritatem dico. Nullus enim est, qui ignoret Ecclesiam Catholicam inter tot adversitates defendi sola divina Providentia, qua omnia, quæ sunt, conservantur, & sunt. Et cum inter omnia signa divinæ Providentiæ primam sedem, primumque locum obtineat Seraph. Patriarcha, si cum ipso stemus simul, nullus adversarius prævalebit. Num erit ista bona consequentia? Num hic est spiritus seraphicus, Benjamin Francisci, dextera Patris? Hic enim Pater ardentissima charitate funiculo indissolubili filios suos inter angustias paupertatis, & humilitatis demulcebat. *Securè manifestet unus alteri necessitatem suam, quia si mater nutrit, & diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere, & nutrire fratrem suum*

(q)  
Sequent. Refir.

(r)  
Chron. Seraph.  
tom. 1.

(s)  
Reg. Sera cap.  
6.

*spiritualem*? (s) Hanc mutuam, venerandamque dilectionem, amorem matris, & filii excedentem, quantum spiritus excedit carnem, magna ex parte perdidimus Seraphici Parentis filii in morte hujus Benjamin dilecti.

Si ergo primogenitus filius charitatis, pax vera, exuperat omnem sensum, in morte Angeli, & Procuratoris pacis fletus exuperet omnem dolorem. Lugeat iterum pro me Bernardinus suum Vincentium. „Heu!  
„Sublatus est, & hæc omnia. Tecum omnia pariter abiire delitiæ & lætitiæ meas;  
„vivam, quod vivam, in senectate, in amaritudine, vivam in mœrore. Etenim  
„manus Domini tetigit me. Me, inquam, tetigit, & percussit, non illum, quem  
„ad requiem revocavit. Me, inquam, occidit, cum illum succidit. Nunquam enim  
„occisum quis dixerit, quem Deus plantavit in vita. Exite lacrymæ jam, aperiantur cataractæ miseri capitis mei, & erumpant fontes aquarum, si fortè sufficientiant diluere sordes culparum quibus iram merui. Luctus meus, quæso, humano, atque pio censetur affectu non ulu. (t)

(t)  
Bernardin. cit.

(u)  
Offic. Eccc.

Oh Bernardine Sanctissime! *Prædicator gratiæ, Doctor egregie, tu vas electionis fore meruisti Salvatoris, prædicans nomen Jesu Christi*, (u) & sic pro Vincentio ploras? Quid si Didacum cognosceres Amatorem veritatis, Angelum Pacis, veræque Sapientiæ Magistrum? Interroga Universitatem istam Sapientissimam, & dicet quantum pro veritate, & pace laboraverit, quomodoque pro his, charitate maxima obstrusa quæque pandebat? Sed quid mirum? Quantum sapio, & capio, Deus illi dederat scientiam sanctorum.

rum. Pro quo scias, vel fortè vides, quomodo Deus plantavit illum in vita, quem in hac prolongata morte sæpe audivi dicentem: *Cognitio, qua ad bonam mortem se disponat homo, est major sapientia, quam quisque desiderare debet, & qua Deus illum magis ornare potest; si mihi adesset semper, sicut tantisper, impossibile foret, ut piè credo, me posse peccare.* Suo discipulo charissimo in ultima infirmitate, qua coronavit omnia opera vitæ, idipsum sæpe repetebat: *Fili, non est delitia, non est gaudium, non est honor, fama plausus, vel dignitas, nisi bona mors: hoc est totum. Præter hoc totum est nihil.* Sed quid ageret Amator veritatis, & Pacis, nisi magisterium totius perfectionis?

Videamus jam ipsum in ultimo agone. Cum accederent Fratres de numero Conversorum, ut textum doctrinæ christianæ audiret, ab ipsis humiliter petabat decorari. Occasione desumpta, quod forte sub cortice litteræ sciebant tantum, mirificè, & clarissimè in altissimos & diversos sensus expandendo declarabat, facetè, venustè, dicens: *Adimpleam ministerium meum, quia hoc Salmantica facere non possum.* Sed quam altè, non solum Conversis, sed convertendis, immo & Sapientissimis audiendum est, ut quomodo Deus illum plantaverit in vita, percipiamus. Dicebat enim: *Deus est esse: eamus ergo ad esse, ibi est esse, ibi est vita, ibi est vivere: si ibi etiam lapides sunt vita, quanto magis homo? Quid sunt omnia comparative ad Deum, qui est esse Verbum ens altissimi, Bernardo teste?* Cherubinorum sapientiam locutio ista declarat. Oh stulti Judæi! „(ajebat) Etiam in grammatica perversi fuistis. Qua ignorantia dixistis: *Sanguis ejus veniat super nos; cum propter nos venerit?*

Emendemus in melius quod ignorantes fecerunt. Pater, sanguis ejus veniat super nos, modo quo propter nos, & propter nostram salutem venit. Hoc tanto ardore, tanta vivacitate, & devotione repetebat, ut extra se rapi videretur. Stupebant adstantes: sed quid mirum! Virtus in infirmitate perficitur, (x) & quo magis dilectus meus debilitatus corpore, plus erat virens in mente. Numquam ergo occitum quis dixerit quem Deus plantavit in vita. Mi Didace; *Tu Magister meus, tu Ductor, & Rector meus.* (i) Heu me miserum! hæc omnia perdidisti. Seraph. Parens quid pro tuo dilecto Benjamin dices?

(x)  
2. Cor. 13. 9.

(i)  
Beruardin. cit.

Defecit filius dexteræ, oblivioni data est dextera tua — veritas, simplicitas, patientia, humilitas; amor veritatis, desiderium pacis, simul abire cum filio tuo, qui in facie tantæ lucis se tamquam vilissimum, & pro nihilo reputabat. Etiam miracula renuebat fieri, quia, docente suo Ang. Præceptore, talia non facit Deus, nisi pro homine, cujus bonitas resultat in populum. Quis sine profluvio lacrymarum audiret Magistrum à discipulo suo enixè petentem, doce me, doce fili, quid facere debeam in hac ultima infirmitate, extremo agone, ne sim scandalum Fratibus, inter quos voluit me Deus sua piissima misericordia venire. Hic *malo* mortem, quam extra fratres meos salutem, & vitam, quam ibi Phisici mihi promittunt, fortè securitate fallaci. Tu scis, amice charissime, me semper plus desiderare inter fratres mundare sordes, quam extra claustra splendere dignitate, & purpura.

Doce ergo me, quid meo infirmario, sapientissimo idiota Didaco Complutensi offeram, qui petitiones cordis mei concelsit,  
ut

ut animam disponderem pro ista flagitiosissima lucta, & quia ultima periculosissima? Testis sum hujus petitionis, & testes sunt aliqui, mortuum fuisse impleto tempore pactus. Doce me iterum, quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? (z) Cor meum contritum, dolensque nimis pro iniquitatibus, quas anathema facio, affero. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum, (a) quamvis, si aliter eveniret, miseranda deceptio foret. Qui iudicat me, Dominus est: (p) timeo valdè; solumque gaudeo, memor, quod scriptum sit; *Dominus bonus propitiabitur: & non imputabit eis, quod minus justificati sint.* (c) Non minus timeo, quod, more solito, in Theatro Salmantino de me vilissimo laudes dicant. Et quia veritatem amo, oro charissime, dicas, hoc solum de me prædicandum: *Ad maxima Dei beneficia nullus inter omnes homines ita ingratus, sicut Frater Didacus Salcedo. O utinam possem de me prædicare! Veritatem istam palam facerem, ita, ut esset in exemplum timoris ad omnes vitio ingratitude deturpatos.* Oh charissime Frater, quam felices quos laudasti in cathedra ista? Tu solus in hanc partem minorem felicitatem habuisti, dum me oratorem virtutum tuarum, sicut prædixisti, habes. Nunc cognosco sapientiam, & humilitatem tuam. Sapientiam, quia, me desiderante prius mori, ut charitas tua, linguaque placabilis operiret multitudinem peccatorum meorum, ne hominibus essem in scandalum; tu è contra repetebas, nequaquam ita erit; sed tu, charissime frater, post mortem meam de ingratitude magna, ut scis, orationem facies. In hoc cognosco sapientiam tuam prævidentem; cognosco & hu-

(z)  
Eccles. 1. Sac.  
Miss.

(a)  
1. Cor. 4. v. 4.

(b)  
Cor. cit.

(c)  
2. Paraph. 30.  
18. 19.

militatem, qua voluisti me rudem, & factuum coram sapientissimis de te dicere.

His & aliis scitu, & memoria retinendis preparabatur in vita dilectus meus Didacus, ut in morte inveniretur strenuus decertator. Quis, etiam saxeo pectore, diamantinoque corde, petram non faceret in fontes aquarum, cernens spectaculum poenitentiae pro Viatico ultimo suscipiendo? In extrema debilitate positum nihil praeter pellem, & ossa habentem cerneret dilectum cilicio, & religioso sacco indutum, ad collum funem, seraphicam chordam, strictè cinctum, vires paucissimas exerentem, ut ipse provolutus in terram, Regem Gloriam tamquam reus supplex adorando, veniam postulareret, dum ad ipsum affectu paterno Christus, tamquam ad filium nimia charitate properabat. In ista sacra lucta amoris & venerationis, victoriae palmam obtinuit obedientia, precipiendo strictè, ne ferret egrè corpus prosternere stinctum, dum Deus in veris adoratoribus (d) cernit solum eor contritum, & humiliatum. Quia in infirmitate ista ultima jam Viaticum provolutus acceperat, nunc duo de se obtulit sacrificia humilitatis, & obedientiae. Et tamquam Christi Discipulus, postquam affectu, lacrymis pedes Fratrum lavit; cum dilexisset suos, usque in finem dilexit eos; (e) verbis, dulcissimisque exhortationibus sapientiae plenis, & incomparabili humilitate ad Fratres sermonem fecit, omnia dicta sua, scripta praesertim, parvipendendo, ita, ut si aliquid falsitatis, vel erroris inveniretur, licet non voluntariè, ei tribuendum esset; &, siquid veritatis & aedificationis scriptum, solius Dei gratia dictum

(d)  
Joan. 4. 23.

(e)  
Joan. 13. 1.

tum putaretur. Hoc tanta efficacia, & devotione eructabat, ut, eo lacrymante, Fratrum catus, vix Ecclesiasticas de more functiones explere potuisset. Ex ista hora Calice salutari inebriatus extra se manere putabatur: sacroque remulentus cruore, solum dum de Deo, & esse, ubi vera vita & esse sine defectu sunt, discipulos alloquebatur, responsum erat mira vivacitate, integritate, valetudine, & ardore, clamore valido repetendo saepe, *O Verbum, ens altissimi!*

Propterea noluit ei Deus concedere petitionem suam, quam tamquam alter Isaac desiderabat (f) manus ligari, ligari sensus funiculo torporis, ne contra Deum aliquid cogitare posset: *Quia res est solliciti plena timoris amor.* Oh humilitas! Oh Charitas! Intellectum da mihi & vivam, (g) ajebat David, & dilectus meus noluit intellectum habere, ut magis securus viveret. Altius tamen exaudivit Deus petitionem suam, dum cognovit conformitatem, & pacem, quibus aequanimiter utrumque, & negationem ignorantiae, & intellectum tolerabat. Negavit fune ligare sensus, sed funiculo omnipotentiae ligavit daemone astus, consodaliumque, carnis, & mundi fallacias, quarum ullae ad animum Procuratoris Pacis pervenire. Paucissimis pacem istam, teste Agrediensi, audimus, vel legimus datam. Non minus raram audire Magistrum discipulo ex corde dicentem, doce me, nimis rudis sum: ergo qui se verè discipulo in hac vita humiliat, à Deo super omnes petitiones cordis exaltabitur. Chronologi de Thaumaturgo miraculorum Paduano asserunt, majus miraculum ejus fuisse velle pro fatuo reputa-

(f)  
Gen. 22. 7. 9.

(g)  
Ps. 118. v. 111.

In mort. S.  
Joseph.

32  
ri, dum Arcam testamenti ipsum divina fabricabat sapientia. Et ni quidam Prælatus Dominicanus thesaurum ostenderet, media obedientia, totam vitam in silentio discipuli Antonius prateriret. Quid de Didaco meo dicetis?

Sacrum extremum oleum sic devoto, integròque animo, & mente recepit, ut sedens Psalmos pœnitentiales, sacco religioso indutus, cum Fratribus alternando, recitaret. Non post multos hos dies media nocte clamor factus est, audientque Regis Christi pulsantis vocem, lampade non vacua (b) Fratrem & discipulum excitavit, mortemque esse vicinam dixit. De sua spe, & operatione securus, lætus Judicem sustinebat, & cum tempus propinquæ mortis venit, de gloria retributionis lætabatur. Unde placidissimo, serenòque vultu, solis Fratribus lacrymantibus & angustia gementibus, obdormivit in Domino, actione qua pectus percuteret; & ni quidam Frater impediret, qui manu candelam Virginis victoriæ tenebat, ictum compleret. Oh charissime Didace mi! Fidelissimus Augustini discipulus & amore filius es tu, ut sine pœnitentia non cedas è vita. Pro te canitur victoria, quia Virginis Matris amantissimus filius, tibi genuit ipsa puerpera vitam. Oh Patriarcha pauperum Franciscæ! cujus amore delectabatur filius tuus, Amator veritatis, & Procurator Pacis! Scis quid accidit? Benjamin filius tuus mortuus est.

Nullus est qui ignoret hoc de Seraph. Parente dictum: *Crucis vox hunc alloquitur ter dicens: tu te prepara, vade Franciscæ, repara domum meam, que labitur.* (i) *Repara domum meam, Triumphan-*

(b)  
Matt. 25.

Mortuus fuit.  
Cœnob. S. Tho.  
Matrit.

(i)  
Offic. Eccl. 15.  
Sept.

33  
tem Ecclesiam, quæ labitur Angelorum ruina. Repara domum meam Ecclesiam militantem, quæ vitiorum cœno labitur. Repara domum mysticam Ecclesiam, Matrem meam, cujus gloria, hominum ignorantia, labitur. Vide nunc quomodo reparationem trinam istam, mortuo Benjamin filio tuo, aggrediaris. Quibus armis hæc omnia reparabis, nisi pax, & veritas sint in dextera tua? Et quomodo pax, & veritas ad manum tibi sint, si Universitates, tamquam pulcherrimam Rachel non tibi spondidisses? (k) Quare ergo filiis tuis mandando præcipiti, & omnes Theologos debemus honorare, & venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum, & vitam, (l) nisi quia, ut alter Jacob, tibi Rachel sapientia fuit, tamquam vita, dilecta nimis, & illam unice contemplationis figuram, dilexisti? Quid est Jacob in tabernaculis habitare, (m) nisi scholas diligere, ut sapientiam, & Dei timorem scires? (n) Ergo tu es Jacob vir integer, minister domus doctrinæ. (o) Certe quidem, quia auream victor meruit aureo colam dum docuit. (p) Tu es viva lucerna populis doctrina facta prodita. Ex ita Rachel in senectute bona genuit duos filios, Joseph & Benjamin; RR. Benedictum Perez, Mag. meum, & dilectum SS. Didacum Salcedo, spiritualiter uterinos Fratres. Proh dolor! Et quam juste dicere posses: absque liberis me esse fecistis; deucetis canos meos cum dolore ad inferos. Parum est sanguinem plorare. Seraph. Parentis spiritus & vita deficit; nam; ut olim me dixisse scitis, spiritus & anima Francisci est Dominicus Cherubicus Patriarcha, cujus virtutes scriptas caracteribus Gothicis in

(K)  
Gen. 29. 20.

(l)  
Test. Seraph.  
circa mod.

(m)  
Corn supra  
25. Gen. v. 27.

(n)  
Lyra in Gen.  
cit.

(o)  
Offic. Eccl.

plagis Seraph. Parentis legere potestis. Ille ergo est veritas, quia ensis & gladius utraque parte acutus, ex ore Dei exiens, in humili vagina cordis Francisci absconditus est manu Omnipotentis. Ergo *Amator Veritatis*, Didacus, Benjamin, & dextera Francisci nominari debet. Hoc mortuo, quid faciet manus ducis sine gladio Veritatis?

Sed eni adest ultima ratio doloris: mortuus fuit dilectus meus Didacus eodem die, quo Subt. Doctor, Magisterque Marianus, ensis ille veritatis, qua puritas originalis defenditur, juramentoque vestro coronatur. Qui audistis Didacum, nonne vidistis Subtilem? Nonne Doctorem Marianum? Quo amore Sacratissimam Virginem sub speciosissimo Rosarii simulacro diligebat? Qua dilectione, & subtilitate solemniorem orationem panegyricam pro Immaculata Conceptione in Patria sua hereditario jure declamabat? Subtilis ergo; Marianus necesse. Regina ista doctrine, veritatem in dubiis, & nebulosis rebus ita acie fixa penetrabat, ut merito suum Aquinatis Solem, Thomam Angelicum splendens mira claritate simularet. Testem, & testes possum adhibere majoris auctoritatis, & notæ. Mortuus est: defecit spiritus, vita, & dextera Seraph. Parentis. Plus ergo dolet, quia minus Ecclesiam reparare valebit: plus consequenter diligit. Sed in contra adest quod vox in excelsis, in Universitate ista, in Rama audita est, ploratus, & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt. (q)

Vvading. in  
vita Subt.

Illmus. Antistes  
Nr.

(q)  
Serm. 31. 15.  
Matt. 2. 18.

Verum si Jacob, & Rachel sunt  
duo duo in carne una, Franciscus & Do-  
mus

mus sapientiae duo in veritate una; quis horum majorem dilectionem, & dolorem mensurare valebit in morte Benjamin Amatoris veritatis, & Procuratoris Pacis? Heu me miserum videntem Patrem meum, & Matrem meam in angustia! Meditabor ut columba in absconditis foraminibus petrae, quoquumque vox turturis audita sit in terra nostra. Repetendoque ibi iterum legam Mag. meum Anselmum consolantem pro amico dilectori meo B. Stephani amicissimo, & ad retractationem charitatis Protomartyris Sancti dicentem: „O favus pinguis melle dilectionis; de quo, cum premeretur, tam opulentæ, tam jucundæ guttæ distillabant, *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Vir Beate, quantam spem donas peccatoribus amicis tuis, cum audiunt, te sic fuisse sollicitum pro impiis inimicis tuis? Vas charitatis superabundans plenitudine, qua ubertate potabis desiderantes amplecti te intra cor suum, cum sic perfundis ejicientes te extra Civitatem suam? Cum sic propinas furore anhelis irruentibus in te; quomodo refocillabis timore anhelos fugientes ad te? *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Quomodo respondebit invocatus, qui sic objurgat provocatus? Quam benigne fovebit humiles exaltatus, qui sic superbis succurrebat humiliatus? Quam celeritate liberabit afflictos potenter liberatus qui sic affligentibus subveniebat afflictus?

Orat. 67.

S. Stephani.

Certè, Magister Sancte, sola Universitas ista consequentiam penetrabit; poteritque videre in te, oh Stephane Sanctissime! quod si afflictus, lupum rapacem, cruentissimi insatiabilisque furoris, Saulum

ex Benjamin oriundum in Doctorem gentium oratione transformasti ; potenter liberatus , Fratrem meum Benjamin dilectum Dilectorem tuum , Doctorem gentium, Dominici filium , ad Angelorum choros altissime , ut pie credo , tuo amore dulcissimo transtulisti. Sed miseram animam meam, morte amici mei , in vinculis corporis , & mortis amarissimæ catenis durioribus emancipasti. Attenuati erunt oculi mei aspicientes excelsam gloriam tuam , ut pro me misero eandem , quam pro persecutoribus , orationem facias. Sed si forte , quia magis scelestus persecutoribus tuis , meam vocem non audias , pias lacrymas Bernardini videas , in quibus afflictionem meam pro Patribus Jacob & Rachel scriptam, oro, legas.

Ergo cum Bernardino dicam. „ An-  
 „ non mors etiam mihi , immo plus mi-  
 Bernardin. cit. „ hi : cui itaque omni morte infelicio-  
 „ ra servata est ; vivo vivens ut moriar,  
 „ & hoc dixerim vitam ? Quam mitius me  
 „ privares , oh austeram mortem , vitæ usu,  
 „ quam fructu ! Nam vita sine fructu gra-  
 „ vior mors est. Denique duplex malum  
 „ paratur ligno infructuoso , securis , &  
 „ ignis. Ergo meis laboribus invidens,  
 „ elongasti à me amicum , & proximum,  
 „ per cujus maximè studium erant , si quan-  
 „ do erant , fructuosi labores. Satius pro-  
 „ inde mihi fuisset periclitari vitam , quam  
 „ tuam , Vincenti , præsentiam , qui meorum  
 „ in Domino studiorum eras sollicitus inci-  
 „ tator , fidelis adiutor , & cautus exa-  
 „ minator. Cur , quæso , aut amovimus ,  
 „ aut amisimus nos ? Dura conditio ; sed  
 „ mea miseranda fortuna , non autem tua.  
 „ Nam tu , charè frater , si charos ami-  
 „ sis-

„ sis , chariores , ut credo , jam rece-  
 „ pisti. Me verò quænam jam miserum,  
 „ atque senem consolatio manet post te  
 „ unicum solatium meum ? Heu ! Tunc in-  
 „ gemisco miser , sicut homo sine adju-  
 „ torio.

„ Mirabantur profectò multi , qui  
 „ præsentem funeri dilecti fratris mei cerne-  
 „ bant erumpere lacrymas ab oculis cordis  
 „ mei. Dissimulabam ; sed ignis qui erat  
 „ absconditus in corde meo , adurebat , &  
 „ pascebat interiora mea ; clausus serpebat  
 „ latius , sæviebat acrius , & tandem in la-  
 „ crymas erumpebat. Nulla profectò mihi  
 „ querela de omnibus , quæ sunt mundi.  
 „ In his profectò , quæ Dei sunt , adem-  
 „ tum doleo fidele auxilium , salutare  
 „ consilium. Vincentium logeo ; Vincentius  
 „ est in causa , proximus spiritu. Adhæse-  
 „ rat anima mea animæ illius , & dilectio  
 „ unam fecerat è duabus. Cum ergo esse-  
 „ mus cor unum , & anima una , hanc  
 „ meam pariter animam , & ipsius pertransi-  
 „ vit gladius ; & scindens , mediam par-  
 „ tem locavit in Cælo , atque aliam par-  
 „ tem reliquit in cæno. Ego , ego illa por-  
 „ tio misera , in luto jacens , truncata po-  
 „ tiori parte , & dicitur mihi , *Ne fleveris?*  
 „ Avulsa sunt viscera mea à me , & dici-  
 „ tur mihi , *Ne senseris?* Sentio , sentio,  
 „ licet invitus , quia nec fortitudo lapidis,  
 „ fortitudo mea , nec caro mea ænea est.  
 „ Sentio proflus , & doleo , & dolor meus  
 „ in conspectu meo semper. Non sanè , nos  
 „ poterit insensibilitatis arguere ille verbe-  
 „ rans , quomodo illos de quibus ait : *Per-*  
 „ *cussisti eos , & non doluerunt.* (q) Non Sermon. 5.  
 „ sum , fateor , insensibilis ad pœnas. Sentio,  
 „ læsus sum , & graviter. Ignoscite. Mile-  
 „ re-